



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

In Lvcaë Cap. 13.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39546

IN LVCE CAP. 13.

Doctrinæ compendium. Cap. 13.

SVNT in hoc capite quædam doctrinæ ca-
 pita annotatione digna. Primum humani 1.
 ingenij errorem perstringit, quo iudicant
 temere homines, grauia in mundo passos grauius
 deliquisse. Hic error in toto libro Beati Iob ac-
 curatè refutatur: & duobus exemplis propositis à
 Christo euidenter refellitur. Alterum caput est 2.
 de pœnitentiæ agendæ necessitate, quam ex alio-
 rum castigatione discere oportet, vt iuxta illud
 Cypriani in serm. de lapsis, *tormeta paucorū exempla*
sunt omnium. Terrium est de cauendo diuinæ gratiæ 3.
 abusu, exemplo arboris infrugiferæ, quia Dei
 patientia nimium læsa vertitur in furorē. Quar- 4.
 tum est de diaboli potestate in corpora humana
 simulque malitia, exemplo mulieris inclinatæ to-
 tis 18. annis. Quintū est de hypocrisi & supersti- 5.
 tione cauenda, ne pretextu seruandj sabbati ope-
 ra charitatis erga proximū intermittantur. Quæ
 tria posteriora loca in Prompt. Morali aliquo-
 ties tractata sunt. Sextū est de necessitate bono- 6.
 rum operū vt salui simus, dicente Christo, *Discedi-*
te à me omnes operarij iniquitatis, id est, iniquis operi-
 bus addicti. Aliud est enim operari iniquitatem
 (quod nisi actū significat), aliud esse operariū,
 quod habitū quasiue professionē notat. Secun-
 dū & postremū caput contra hæreticos modernos
 notanda sūt, circa quæ Calvinus in suis ad hæc lo-
 ca cōmentarijs prorsus silere maluit, quā vel suis
 dogmatibus contraria aliquo modo explicare,
 vel contra tam apertam veritatē frustra reluctari.

Vnum

7. Vnum hic est quod in exemplum trahi non debet. Christus Herodem principem vulpem vocat, non ex contemptu magistratus, sed ex auctoritate Spiritus, quã nemo imitari debet. Demonstrat quippe propriam sibi potentiam, quod opus legationis suo toto inuito mundo perficiet vsque ad constitutum à Patre tempus. Hoc proprium Christo fuit.

IN LVCAE CAP. 14.

14. *Retribuetur enim tibi in retributione iustorum.*

Bonorum
operum
merces.

VALET hic locus euidenter pro retributione bonorum operũ apud Deum. Opponit enim Christus retributionem humanam, qui mutuam cõpensationem in suis conuiujs venantur, retributioni quẽ à Deo futura est in resurrectione iustorum. At illa alia veri nominis retributio est; ergo & ista. Hæretici hunc locum tractantes, imprimis Calvinus, nihil aliud à Christo hic doceri volunt, nisi in conuiujs illis humanis non exerceri charitatem, nec ad probãdam charitatem illa sufficere. At Christus docet inuitationem pauperum non solum esse opus charitatis Christianæ, sed etiam opus cui à Deo retribuetur in resurrectione iustorum, id est, in illa generali omnium iustorum glorificatione. Sic hæretici bona pietatis opera nihil nisi fructus quosdam fidei & charitatis, signãq; & notas filij Dei esse volunt: aliquid apud Deum valere, vel ad salutem conferre, contra euidentissimas Scripturas nolunt.

23. *Comẽ*